

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Theses Historico-Philologicas Consensu Inclyti
Philosophorum Collegii Reg. Pomeranorum Academiæ
Gryphicæ**

Träg°ard, Elias

Gryphiswaldiæ, [MDCCLXX?]

VD18 13193120

Th. VI. Cogitationes & harum signa voces cum sint innumerae, frustra laborarunt hactenus & in posterum etiam oleum & operam perdunt, qui scripturae, sic dictae, universal iinveniendae operam dederint.

urn:nbn:de:gbv:45:1-15772

non dubitandum, quin in eo constiterit, quod mandato DEI repugnare & finem, quem hominum multiplicatione obtentum voluit, irritum facere conati sint, vid. Gen. I, 28. idemque etiam post inundationem repetitum Cap. IX, 1. Id quod tanto magis nefandam prodidit impietatem, quatenus hocce præceptum DEI, nec ignorasse, nec ejusdem immemores fuisse verba ipsorum v. 4. dilucide monstrant. Jam vero in tantam impietatem omnes prolapso fuisse universi orbis incolas rationes theologicae sunt, quæ credere prohibeant, hocque posito, haud omnium loquela confusionem subiisse rite colligi poterit.

Th. V.

Divisionem terræ, quæ tempore nativitatis Pelegi accidisse narratur Gen. X, 25. verosimile est, non fuisse politicam, sed naturalem. Scilicet universalem ibi innui terræ motum existimo.

Quominus politica fuerit, obstat videtur paucitas hominum tum temporis viventium, quæ vel unica ratio sufficiens haberi poterit. Ab altera autem parte, vix ulla excogitari potest ratio, cur pauci isti homines, totum terrarum orbem multorum millium abunde capacein, inter se dividerent; quem præterea nondum sibi cognitum habere potuerunt. Unde hanc divisionem fabulam censet etiam Cl. MICHAELIS (h). Naturalem vero eandem fuisse, ipsa globi nostri terra qui consideratio, prout in mappis nostris Geographicis eundem conspicimus, variaque ubique locorum, quæ inveniuntur ejusmodi rupturæ vestigia, satis probabile reddunt. Quo assumto, sua sponte evanescunt Criticorum atque Chronologorum tricæ de tempore nativitatis & ratione denominationis Pelegi, nee non spiritus propheticus Heberi, quas vide apud POLUM (i). Horrendas adeo subiit terra nostra mutationes binas, eluvionem alteram, alteram terræ motum, quibus ultimis temporibus accedet incedium.

Th. VI.

Cogitationes & harum signa voces cum sint innumeræ, frustra laborarunt hactenus & in posterum etiam oleum & operam perdunt, qui scripturæ, sic dictæ, universalis inveniendæ operam dederint. Si

(h) Comm. de Nomadibus vid. syntagm. Comm. P. I. p. 215.

(i) Synopf. Crit. ad h. I.





Si verum esset, quod de scriptura Sinarum contra auctoritatem itinerariorum maxima fide dignorum, tam confidenter affirmant accredunt nonnulli, positionem hanc falsam esse utique concederem; at tum maxima quemque subeat admiratio; cur ni nationes Europææ Sinis multo perpicaciores atque politiores idem scribendi genus dudum adoptaverint. Id quod artibus, scientiis & commercio totum inter genus humanum summæ esset utilitati easdemque mirum in modum faciliores redderet ac promoveret. At, scripturam hanc nequaquam esse posse universalem quivis facile convincitur, si conferatur BAJERUS (k) & FOURMONT (l). Alias, ejusmodi scripturam excogitari posse statuit MAUPERTUIS (m), eandemque dudum antea ad absolutionem ac perfectionem perduxerat SOLBRIGIUS (n). Is nim. a se inventam in lucem edidit rationem per Ziphras scribendi; quam videoas & eris de non trifibis unus.

Th. VII.

In quibusvis linguis paucissimæ voces sunt signa rerum arbitraria, & sane, si vocum omnium etyma nobis essent cognita, nullæ omnino tales esse deprehenderentur.

Illud forte locum haberet, si de primis primitivis quæstio est, neutquam vero de derivatis. Valde igitur errant, qui debita accurate significationes vocum investigare in linguis negligunt, vel hocce studium flocci facientes, plane rejiciendum docent; cum ex principiis etymologicis sanæ rationi superstructis pateat, voces ad ipsarum rerum illis designatarum notitiam nos ducere, non ut signa mere arbitraria, quod nonnulli philosophorum contendunt, sed ut signa consilio ita formata, ut certas rerum proprietates nobis indicent; id quod innumeras sere in quibusvis linguis ostendunt exempla, cuivis de vocum etymis cogitanti sua sponte se sistentia. Hæc autem ego ad alia festinans in medio relinquere cogor.

(k) in Museo Sinico.

(l) Grammaire Chinoise.

(m) l. s. cit.

(n) scriptura oecum. edit. Saltquell 1726. in 8.

